

**I. CONSTITUTIO DE SALE PRUTHENICO
IN QUASDAM TERRAS REGNI ET DUCATUS MASOVIAE
INVEHI ADMISSO NECNON THELONEO NOVO AB EODEM EXIGENDO^a**

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae etc, universis et singulis spiritualibus et saecularibus, principibus, ducibus, palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis, burgrabiis, terrigenis, nobilibus, praeconsulibus et consulibus civitatum et oppidorum, tam nostrorum regaliū quam quorumcunque subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, tam regni quam etiam ducatus Mazoviae, et signanter in Cuiaviae, Plocensi, Dobrinensi, Warschoviensi, Ciechanoviensi, Viznensi, Lomzensi et aliis terris ducatus eiusdem, et generaliter omnibus dignitariis, officialibus et quibuscunque subditis nostris, status et conditionis cuiuscunque existentibus, ac [in] singulorum^b districtuum terrarum earundem dominiis ubilibet consistentibus, praesentibus requirendis, sincere et fidelibus nostris dilectis, gratiam nostram regiam.

Reverendi, praeclari, magnifici, generosi, nobiles, famosi et providi, sincere et fideles nostri dilecti.

1. Cupientes una cum consiliariis regni nostri status utriusque proventus mensae nostrae regiae ampliare, providentes quoque, ne terrarum praemissarum incolae, quibus ob longam loci distantiam sal ex zuppis nostris Cracoviensibus commode advehi non potest, defectum in usu salis patiantur, quo nimis gravari viderentur, decrevimus sal externum Prutenicum in terras dominiorum praedictorum mittendum; in dominia tamen et terras ipsas, sum amissione equorum, currus et salis, tanquam pertransitorum, fisco nostro applicandorum et pro nobis recipiendorum, non alibi indulgendum, nisi viis et stratis publicis, per infrascriptum laudi eiusdem communis nostrum provisorem generalem instituendis et publica proclamatione notificandis. Ne autem exinde proventus solii nostri diminutionem sortiri videantur, de consilio consiliariorum nostrorum ac nuntiorum illarum terrarum terrestrium consensu decrevimus a quolibet curru dicto...^c, sale ipso externo onusto, grossos Polonicales quadraginta in mediis grossis, a quolibet vero vase salis, in dominia ipsa, per quemcunque et quomodocunque inducendo, per decem grossos in mediis grossis ratione thelonei solvendo et in manus constituendorum theloneatorum, in locis et cameris ad id faciendis [et] instituendis, dando.

2. Volentes itaque, ut ipsa admissio et constitutio nostra publicitus facta debitum sortiatur suum effectum, generosum Andream de Radziejowicze castellanum Sochaczowiensem, fidelem nostrum dilectum, in generalem eiusdem laudi communis administratorem et provisorem praefecimus et deputavimus, praeficiamusque et deputamus, dantes et conferentes sibi nomine et auctoritate nostris, vias et stratas publicas, quibus sal ipsum invehi et induci debet, camerasque pro exigendo eiusmodi theloneo in locis ad id congruis, ac theloneatores, factores et custodes thelonei eiusdem constituendi, deputandi, ordinandi et praeficiendi omnimodam facultatem. Et pro tanto vobis omnibus subditis nostris et cuilibet vestrum seorsum mandamus strictius praecipientes, quatinus praefatum generosum Andream praemissa omnia exequi libere permittatis et permitti faciatis, sibi que consilio et auxilio in exequendo ipso laudo communi ad requisitionem eius sitis, theloneatoribus praeterea, factoribus et custodibus thelonei eiusdem, per ipsum Andream constituendis, in arrestandis et recipiendis eiusdem thelonei transgressoribus, theloneum ipsum viis aliis, quam publicis, quas ipse Andreas designaverit et edixerit^d, praetereuntibus, recipiendisque pertransitis, ut praemissum est, totiens quotiens opus fuerit, ubivis loci adsitis^e et quilibet vestrum adsit; si enim incuria et temeritate alicuius vestrum aliquid dampni et impedimenti in praemissis sortiemur, id totum in vobis et bonis vestris procul dubio resarcire volumus, statutumque contra vos, tamquam negligentes et non exequentes lauda communia, desuper editum¹, extendemus. Atque ideo et sum obtentu gratiae nostrae secus non facturi.

^a Tytuł ten pochodzi od O. Balzera. W MK₂, t. 24, k. 90v-91, brzmiał on: Litterae universales super novo theloneo a sale Prutenico exigendo.

^b singularium MK₂.

^c W MK₂ pozostawiono tu wolne miejsce dla późniejszego uzupełnienia polskiej nazwy.

^d ediderit MK₂.

^e sitis MK₂.

¹ Por. konstytucje sejmu koronnego z 1507 r., I, art. 12.

Datum in conventione generali Pyotrkoviensi, feria sexta proxima ante Conductum Paschae [13 IV] anno Domini 1509.

^fRelatio [reverendi in Christo patris domini Mathiae episcopi Premisliensis et regni Poloniae vicecancellarii]^f.

II. CONSTITUTIO DE SALE ULTRAMARINO
IN QUASDAM TERRAS REGNI INVEHI ADMISSE
NECNON THELONEO NOVO AB EODEM EXIGENDO^a

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae etc., universis et singulis, tam spiritualibus quam saecularibus, dignitariis, officialibus civitatumque et oppidorum directoribus et praefectis, ubilibet in regno consistentibus, ac cuiusvis status et conditionis existentibus, sincere et fidelibus nostris dilectis, gratiam nostram regiam. Sincere et fideles nostri dilecti:

1. In hac generali conventione auctoritate nostra et nostrorum consiliariorum nuntiorumque terrestrium constitutum et laudatum esse ad commune reipublicae commodum et necessitatem noveritis et quilibet vestrum notum habeat, quod sale ultramarino, quondam uti prohibito, quod in certas terras regni nostri in destructionem thesauri communis, videlicet Cracoviensium zupparum advehebatur, iam deinceps terrae Cuiaviensis et usque ad limites terrarum Gostinensis et Lanciensiensis, et non ultra, necnon terrae Maioris Poloniae et Paluky ac Krayna uti et frui possint et valeant solutis vectigalibus, videlicet a quolibet vase grossos Polonicos decem, in locis ad hoc deputatis et deputandis.

2. Ut autem vectigalia eadem^b in ordine bono constituentur, ne exinde respublica commodis suis fraudetur, et quilibet secundum iustitiam conservari possit, volumus, ut generosus Stanislaus de Cosczyelec castellanus Iunivladislaviensis et capitaneus Wyescheviensis et Thucholiensis, quem in officialem custodiendorum eorundem vectigalium nostrorum constituimus, istam constitutionem proclamari faciat, eadem vectigalia per se et suos factores in locis ad id deputatis et deputandis exacturus.

3. Volumus tandem et mandamus, ne sal praefatum transmarinum in terras Lanciensem et Gostinensem in destructionem zupparum^c nostrarum ducatur.

4. Quocirca vobis omnibus et singulis dignitariis et officialibus tam castrorum quam etiam civitatum et oppidorum nostrorum [mandamus], quatinus ad requisitionem praefati Stanislai de Coszyelec, officialis nostri ad hoc deputati, ipsam constitutionem in capitaneatibus et civitatibus et oppidis edici proclamari faciat et mandetis, sub poenis nostris regalibus, ad hoc denuo constitutis¹, eidemque, sive suis factoribus, ubicunque et quandocunque opus fuerit, subsidia et auxilia praebeatis, et quilibet vestrum praebeat; secus autem quicunque vestrum fecerit et ausu temerario tali constitutioni se opposuerit, indignationem nostram simul et poenas habituri.

Datum in eadem^d conventione generali Pyotrkoviensi, sabbato intra octavas Paschae [14 IV] anno Domini 1509.

^{f,f} relatio ut supra MK₂. *Poprzednie jednak akty tamże, sygnowane są imieniem Macieja Drzewickiego, wówczas podkanclerzego koronnego.*

^a Tytuł ten pochodzi od O. Balzera. W MK₂, t. 24, k. 91-92, tekst ten figuruje pod tytułem: Aliae litterae super eodem theloneo novo a sale.

^b eodem MK₂.

^c terrarum MK₂. Jest to błąd, który O. Balzer skorygował według brzmienia analogicznego zwrotu w art. 1 tegoż tekstu.

^d Wyrzaz ten O. Balzer w swej edycji opuścił.

¹ Por. konstytucje sejmu koronacyjnego z 1507 r., I, art. 12.